Quaestio Medica Quodlibetar. Disput. agit. in Scho. Medicorum

Die Iovis 9 februar. D. Georgio Cornuty Moderatore.

An Praegnantibus vena sectio, quàm Purgaõ tutior? 186

Conceptio foeminis, ut Maribus generaõ propria, non sola seminis attractio, vel retentio, sed uteri modicè temperati peculiaris est actio ad perfectam generaõem, qua semen non exquisitè omnium speciem imitat, & in partes corporis varias vicissitudine quadam distrahitur, donec foetus fiat, qui ~~primis~~ primis statim mensibus sensus, deinde motus facultate ornatus menstrui sanguinis, & convenientis alimenti affluxu nutritur septimo, vel nono mense natalis copiosioris & spiritus, & alimenti capax in lucem erumpit.

Is quandiu in utero continetur ad eius gestaõem, & nutricem requiritur uteri temperies, ligamentorum robur, venarum, arteriarum, & cotyledonum integritas cum sanguinis moderato concursu, earum rerum vitato usu, quas cacochymiam, vel plethoram inducere possunt, vel vasorum orificia aperire, laxare, aut obstruere, alioquin periculosior conceptus quas utero gerit, tot incommodorum generibus obnoxia, quot et humorum vitiis calamitates suboriuntur.

Dum cacochymia, vel plenitudine corpus premitur, quasi lassitudine frangitur, lumbi, inguina, femoraque, ingravescunt, dolent, somnus gravis interdum obrepit, cibi fastidium, nausea, vomitio plerumque pituitosa, modo biliosa, ut supnatandis humor in praecordiis redundat. Quod si vomitione non excludatur humor, spirandi difficultates, vertigines, animi defectiones, & anxietates contingunt. si vero inter humores ventriculi tunicis impacti sedem, vel rei alicuius appetitus in quartum, & quintum mensem fatigat.

His symptomatis venae sectione, vel pharmaco providendum. At venae sectione vero audentius, quo tutius ne distenta vasa dehiscant, aut disrumpantur (unde viscerum inflammaões, & haemorrhagiae) nimio sanguinis, eiusque putris diuturna mora qualitate, & copia foetus pereat, mulier vero in phrenitidem, epilepsiam, tetanum, febrem ardentem, aliosque graviores incidat, vel obstructionis magnitudine insitus calor restinguatur, tandemque deficiat. Pharmaco à quadrimestri ad septimestrem usque, uteri gestaõem, tollitur enim contracta cacochymia viscerum vitio, alimentis corruptis, vel quae facilè corrumpuntur, vel intempestivè ingestis, ex quibus illa appetitio absurda, putridorum vomitio, foetus languidi motus, mulieris macies, & cadaverosus color.

Hoc vero quoniam quod in alvum attractum est, non facilè excernitur vel cum capitis vertigine, cordis morsu tormini bus alvi, interdum etiam animi defectu exprimitur, vel nimis corpus vehementer perturbatur, sine offensione aut offensionis periculo humores vim expellere nequit mulier. At quoniam quae venae sectione suscipitur curaõ dum efflagitat morbus expeditè, & citra periculum cui artificis prudentia moderatur, morbum adimit, cuius nulla vacuaõ salutaris expers esse potest, hoc magis in praegnante sine abortus metu competenda quo matri & foetui magis est convenientis.

Ergo in Praegnantibus vena sectio, quàm Purgaõ tutior.



Defendebat Franciscus Poirot Lotharing. Nanceyanus. 1584.

Dom. Doct. Disp.

M. Georgius Cornuty Praeses. M. Joannes le Moyne. M. Petrus Girouft.
M. Henricus Biscot. M. Guillelmus de Baillou. M. Augustinus Frondebeuf.
M. Jacobus Gerault. M. Martinus Akakia. M. Joannes le Conte.